



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quomodo inchoatur haec obedientia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

festam dilectionem **D**ei, iuxta illud: **D**iliges **D**ominum **D**eum tuum ex toto corde. **S**ed quia natura hominis corrupta est uitio originis, ideò hæret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ magis amat carnalia quàm **D**eum. **I**deò hæc infirma natura, nunquam potest satisfacere huic legi, & semper accusat nos hæc lex. **N**unquam enim tantum timemus, aut diligimus **D**eum, quantum oportuit. **I**mò ne inchoari quidem potest obedientia huius præcepti, nisi prius audiamus **E**uangelium de **C**hristo, & de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur hæc obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere **E**uangelium de **C**hristo, & de remissione peccatorum. **N**on enim possunt humana corda **D**eo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt **D**eum, nisi prius intelligant **D**eum esse placatum. **C**um igitur per terræ facti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter filium **D**ei **I**esum **C**hristum, qui pro nobis factus est uictima, **H**ac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere **D**eo, quòd sit
nobis

DE DECALOGO. 5

nobis propitius. Agnoscunt igitur eius misericordiam, & statuunt nos respici, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his qui agunt poenitentiam sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et haec obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filij. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex nisi agnito Christo, & placet, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus, Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit. Nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pii huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic praecepto, nosse & profiteri ea quae docet Symbolum, & obseruari externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem praedicat Euangelium. Haec obedientia est civilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis. Sed oportet in corde uerum timorem, ueros pauores, & rursus ueram fidem & consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per Christum, & per hoc uerbum nobis datum, hi uere agnoscunt Deum, quemadmodum mone-mur in hoc praecepto.

A 5 Que